



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.
XII**

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Theoderico milite de Rulant, qui fluxu sanguinis laborans, Saracenos miraculosè fugauit, cap. 12.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

Frater Walterus, monachus in Hemmenrode, referre solet miraculum mirabile, cui se interfuisse memorat. Cum peregrini in prima expeditione obfiderent ciuitatem Achon, contigit quodam die, ut egressi Saraceni manu violenta propellerent Christianos in castra sua. Erat autem tunc ibi miles quidam inuenis Theodericus nomine, frater domini Cunonis de Rulant, qui adhuc viuit: is fluxu sanguinis adeo laborabat & infirmabatur, quod in lecto suo non per se, sed in linteamine vertebatur. Hic auditio strepitu & clamore fugientium, interrogavit quid hoc esset; & cum audisset rem, iussit sibi afferri arma sua, & se armari in lecto sedendo. Tandem strato dextrario suo, & accinctus ense, iussit se leuari super equum suum, & fluebat sanguis etiam per sellam: acceptaque lancea exiuit, dicens: Deus adiuua me, & sanctum sepulchrum: qui tanta vehementia prorupit in Saracenos, transiens & circumgirans, percutiens & propellens, quod omnes Christiani animati & confortati sunt per eum solum, adeo quod ejecerunt hostes a castris suis. Quo facto, rediit ad lectum infirmitatis suae, & tertia die mortuus est. Audi nunc de justitia miraculum satis gloriosum.

CAP VT XIII.

*De iu-
stitia.*

Miles quidam in dandis suis decimis, tantum erat devotionis ac iustitiae, ut ei summum esset studium illas soluere sine mora, sine dolo, sine vexatione. Habebat autem vineam quandam, que circa decem carratas annuatim facere solebat. Tempore quodam, ut post patuit, magis ex Dei dispensatione, quam ex aeris intemperie, postquam collectum est, vim numerique expressum, una tantum inuenta est carrata. Quo auditio, miles seruo suo verbū memoria dignum respondit: Quod meum erat, inquit, mihi Dominus tulit, ego illi portionem suam non auferam, vade, & da sacerdoti carreatam hanc pro decima, quod & factum est. Eodem tempore militis germanus, sacerdos quidam iuxta praedictam vineam transiens, eam uis referat

tam